

Impedim. matrim. sect. 4, conclus. 3, cum communi aliorum. Prima pars, quod ordo ex natura non dirimat, patet; quia stare potest cum matrimonio, prout patet in Ecclesia Græca, imo etiam Latina, casu, quo infans valide ordinatus postea matrimonium contrahit, vel adulterante uxore maritus ordines valide suscipit, prout potest juxta dicta lib. III, tit. XXX, n. 34.

16. *Papa dispensare potest, ut existentes in majoribus etiam sacerdotes et episcopi nubant.* — Altera pars, quod jure divino non dirimat. Ratio est; tum quia allegari non potest; tum quia in jure divino Papa dispensare nequit per dicta lib. I, tit. III, n. 455. Cum initiatis autem sacro aliquo etiam sacerdotali, imo episcopali ordine, Papa potest dispensare, et sæpe jam dispensavit, v. g. cum Cæsare Borgia, qui prius erat cardinalis diaconus, cum Ramiro Arragonum rege prius episcopo, cum Nicolao Justiniano, prius religioso sacerdote, et pluribus aliis, inter quos recentissimum exemplum est in illustrissimo doctore Francisco Leopoldo comite Slabata canonico Passaviensi subdiacono, cum quo Alexander VIII, 14 januarii 1690, ad conservationem familiæ dispensavit ad contrahendum matrimonium. (ADNOTATIO LXXVIII.)

17. *Voti solemnitas a sola Ecclesia provenit.* — Manet ergo tertia pars, quod solo jure ecclesiastico dirimat; quod ipsum aperte indicat concilium Tridentinum, sess. 24, de Sacramento matrim. can. 9 (textum habet supra n. 2), ubi impedimentum hoc dirimens expresse adscribitur legi ecclesiasticæ, et voto non quidem simplici, utpote quod non dirimit, arg. c. *Consuluit*, 4, et c. *Rursus*, h. t. sed solemnizato, voti autem solemnitas ejusque vis dirimendi a jure duntaxat ecclesiastico provenit c. *Unico*. § *Nos attendentes de Voto*, in 6, ibi: «Voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inventa, ergo.»

18. *Clerici beneficiati, sive in majoribus, sive in minoribus constituti, si nubunt, ipso facto privantur beneficio.* — Quæritur II. Quas poenas incurrat, si clericus matrimonium contrahat? Item, quandonam conjugatus laicus, vel post sponsalia licite suscipere valeat ordines? Resp. I. Clericus tam in majoribus, quam in minoribus ordinibus constitutus, beneficium habens, perdit illud, si matrimonium contrahit. Patet ex dictis lib. III, tit. III, de Clericis conjugatis.

19. *In majoribus constituti insuper incurrunr excommunicationem et irregularitatem.*

— Resp. II. Si clericus in majoribus constitutus contrahere attentat, præter nullitatem matrimonii, excommunicationem et irregularitatem ipso facto incurrit, c. 2, h. t. et Clem. un. de *Consanguin. et affin.* ibi: «Clericos in sacris ordinibus constitutos matrimonium contrahentes, etc. excommunicationis sententiæ ipso facto subjacere decernimus;» a qua tamen post poenitentiam absolvere eum potest episcopus, cit. Clem. un. de *Consanguin. et affin.* et c. 4 et 4, h. t. ibi. «Post longam poenitentiam et vitam laudabilem continentes (dimissa jam uxore juxta c. 4, h. t.) officio suo restitui poterunt, et ex indulgentia sui episcopi, ejus executionem habere.» (ADNOTATIO LXXXIX.)

20. *Conjugati, vel desponsati quando nubere possint. Remissive.* — Resp. III. Quandonam autem licite et valide ordines suscipere valeant, vide lib. III, tit. XXXII, de *Convers. conjugat.* n. 26 et 33. Quid juris autem, si post sponsalia ordines suscipere velint, vide supra tit. I, de *Sponsal.* a n. 228.

21. *Omne et solum votum solemnne dirimit matrimonium.* — Quæritur III. An? et quale votum? ac quomodo dirimat, vel impediat matrimonium? Resp. I. Omne et solum votum solemnne per susceptionem ordinis, vel professionem religiosam emissum, dirimit matrimonium contrahendum. Omnes. Et quidem de voto solemnne per susceptionem ordinis tacite emissum jam patet ex præced. quæstion. De professione autem religiosa aperte constat ex c. *Meminimus*, 3, et fin. h. t. ubi summarium sic habet: «Votum solemnne impedit, et dirimit matrimonium postea contractum,» juncto concilio Tridentino, sess. 24, de *Sacramento ordinis*; cujus textum vide supra n. 2.

22. *Sunt tantum duo vota solemnna, illud nempe quod ordini est annexum et professio religiosa.* — Porro vota solemnna plura et alia non sunt, quam duo, ordinis videlicet sacri, et professionis religiosæ, textu expresso c. un. de *Voto*, in 6, ibi: «Præsentis declarandum duximus oraculo sanctionis, illud solum votum debere dici solemnne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri ordinis, aut per professionem expressam, vel tacitam factam alicui de religionibus per sedem apostolicam approbatis.»

23. *Professio religiosa non tantum contrahendum, sed etiam jam contractum tantum consummatum matrimonium dirimit.* — Resp. II. Votum solemnne professionis religiosæ non solummodo matrimonium contrahendum, sed etiam jam contractum ratum, non tamen carnali copula consummatum dirimit. Omnes, textu expresso c. 2, et c. *Ex parte*, 14, h. t. Estque definitum a concilio Tridentino, sess. 24, de *Matrimonio*, can. 6, ibi: «Si quis duxerit, matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit.» In quo differt a voto solemnne ordinis sacri; utpote quod nullatenus matrimonium jam contractum, sed tantum contrahendum dirimit, juxta dicta n. 14, arg. *Extravag. Antiquæ, Joannis XXII, de Voto.*

Quantum autem tempus, et quo modo concedatur cuivis conjugii ad resistendum aut contradicendum consummationi matrimonii, vide lib. III, tit. XXXII, de *Convers. conjug.* ubi plura ad propositum.

24. *Votum simplex castitatis, intrandi religionem, aut suscipiendi ordines non dirimit, sed tantum impedit matrimonium.* — Resp. III. Vota simplicia castitatis etiam perpetuæ, intrandi religionem, suscipiendi sacros ordines nullatenus dirimunt matrimonium, quamvis illud impediant, si ante sponsalia emittantur. Rursus communis ac certa textu expresso cit. c. un. de *Voto*, in 6, ubi postquam Papa de votis solemnibus egit, ita subjungit: «Reliqua vero vota, etsi quandoque matrimonium impediant contrahendum, non tamen rescindere possunt jam contractum.» Concordat c. *Consuluit*, 4, h. t. ibi: «Simplex votum matrimonium impedit contrahendum, et non dirimit jam contractum,» quod idem habetur c. *Rursus*, 6, eod.

Cur autem votum solum solemnne, et non simplex castitatis dirimat matrimonium; cum tamen simplex votum apud Deum non minus obliget quam solemnne, cit. c. *Rursus*, 6, h. t. dictum est lib. III, tit. III, n. 5.

25. *Stante voto castitatis nubens non potest petere debitum, bene tamen reddere.* — Illud tamen notandum, quod licet vota simplicia non dirimant, sed tantum impediant matrimonium, nihilominus votum simplex castitatis etiam post contractum matrimonium adduc valeat, et ex parte obliget voventem, ita, ut, licet reddere possit debitum conju-

gale conjugii illi petenti, petere tamen, aut non petitis sua sponte præstare illud nequeat, nisi cum eo dispensetur, ut habet communis theologorum et canonistarum arg. c. *Quando de Jurejur.* c. *Quidam.* et c. *Placet. de Convers. conjug.* de quo amplius videre potest apud Sanchez, lib. IX, disp. 33 et 34.

Quis autem dispensare possit, ut talis etiam petere possit debitum conjugale, dicetur infra in appendice.

26. *De votis simplicibus emissis post sponsalia. Remissive.* — Cæterum nolenter dicitur in conclusione n. præced. posita, si ante sponsalia emittantur: quia an, et quando impediant, et quem effectum habeant, si post sponsalia jam contracta emittantur; item utrum emitti valeant, vide tit. I, a n. 233. (ADNOTATIO LXXX.)

TITULUS VII.

De eo, qui duxit in uxorem, quam polluit per adulterium.

1. *Ratio continuationis.* — Post impedimenta ordinis, et voti, pergit compilerator canonum ad alia impedimenta; et quidem in præsentis titulo ad impedimentum criminis per adulterium vel homicidium conjugum commissum. Quamvis enim rubrica hujus tituli de solo crimine adulteri sonare videatur, tamen etiam de homicidio, seu machinatione in mortem conjugis intelligi debet; quia de eodem etiam in h. t. agitur. Est namque duplex crimen inducens impedimentum dirimens matrimonii: «Adulterium videlicet, et homicidium, seu machinatio in mortem conjugis,» non quidem quaecunque, sed certis qualitatibus et conditionibus affectum; uti patebit ex frequentibus.

2. *Solum adulterium cum altera non causat impedimentum criminis.* — Quæritur I. Quondam, et inter quos adulterium constituit dirimens impedimentum criminis? Item quæ conditiones requirantur ad illud? Resp. I. Solum adulterium non est dirimens impedimentum inter adulterum et adulteram, sed tunc solum, quando cum eo concurrat contractus saltem attentatus matrimonii, vel ejusdem contrahendi promissio; vel machi-

natio in mortem conjugis innocentis. Communis ac certa ob clara jura. Prima pars, quod solum adulterium non constituat impedimentum dirimens, patet ex c. *Significasti*, 6, h. t. ubi ad questionem, an valeat matrimonium viri cum illa, cum qua prius vivente adhuc sua uxore adulterium commisit? respondit Papa: « Quod nisi alter eorum in mortem uxoris defunctæ fuerit machinatus, vel ea vivente sibi fidem dederit de matrimonio contrahendo, legitimum iudices matrimonium supra dictum. »

3. *Bene vero, si cum eo concurrat contractus.* — Secunda pars, quod sit impedimentum, si cum adulterio concurrat matrimonii contractus de præsentibus, patet ex c. 1, et c. *Veniens*, 7, c. fin. et c. *Cum habet*, h. t. ubi summarium ita sonat: « Qui vivente uxore legitima cum secunda contrahit adultera, etiam prima mortua, separabitur a secunda; etiamsi longo tempore ei cohabitavit, et filios ex ea suscepit: » ut proin inter tales matrimonium vivente alia legitima uxore contractum, non tantum sit nullum, sed etiam impedimentum, quod valide amplius non possint contrahere.

4. *Vel saltem promissio matrimonii.* — Tertia pars, quod adulterium constituat etiam impedimentum, si accedat saltem promissio de matrimonio post mortem conjugis contrahendo cum parte adultera, textus expressus est cit. c. *Significasti*, 6, h. t. ibi: « Nisi alter eorum, ea vivente sibi dederit fidem de matrimonio contrahendo, » et c. *Veniens*, ac fin. eod. ibi: « Si quis uxore vivente, fide data promisit aliam se ducturum, etc. tolerari non debet, si illam adulterio polluisset. »

5. *Aut sine promissione machinatione in mortem conjugis innocentis.* — Quarta pars tandem, quod adulterium impedimentum generet, si cum eo concurrat machinatio in mortem conjugis, etiam sine promissione matrimonii, constat ex c. 1, h. t. ibi: « Vel quæ machinata est in mortem uxoris, » c. *Super hoc*, 3, eod. ibi: « Respondemus, quod si adultera est in mortem uxoris aliquid machinata, sive fidem dederit, sive non, quod ea defuncta hanc esset ducturus, secundum canones ab ejus consortio prohibetur, et hæc prohibitio perpetuo est servanda, » et c. *Significasti*, 6, eod. ibi: « Nisi alter eorum in mortem uxoris defunctæ fuerit machinatus. »

6. *Nec refert, an adulterium præcedat, vel*

subsequatur contractum aut promissionem matrimonii. — Procedit conclusio quoad posteriores partes, sive adulterium præcedat, sive sequatur matrimonium, aut promissionem ejusdem in adultera, prout teste Sanchez, lib. VII, disp. 79, n. 3, docent universi, arg. c. fin. h. t. ibi: « Sive prius, sive postea eam adulterio polluisset: » Procedit insuper, etiamsi vir et legitima uxor quoad thorum per divortium separati vivant, textu expresso c. *Ex litterarum*, 4, h. t. Item etsi nunquam cohabitarint, ipsumque matrimonium tantum ratum, et nunquam adhuc consummatum fuerit, arg. c. *Significavit*, 2, h. t., et ibi Abbas, n. 1.

7. *Ut impedimentum criminis oriatur, præter prædicta requiritur.* — Resp. II. Plures requiruntur conditiones ad hoc, ut ex adulterio consurgat dirimens impedimentum criminis. Patet inductione. Nam I. requiritur, ut cum adulterio concurrant vel contractus, vel promissio matrimonii cum adultera parte, vel machinatio in mortem conjugis per dicta.

8. *Ulterius II. Ut matrimonium sit validum.* — II. Requiritur, ut matrimonium cum primo conjugis sit validum; si enim hoc ex aliqua ratione invalidum esset, hoc ipso alteruter conjugum tertiam personam carnaliter cognoscens adulterium non committeret, et consequenter impedimentum cum illa tertia persona non contraheret, arg. c. *Significavit*, h. t., et ibi Barbosa, n. 1; Joan, Andreas, n. 4; Sanchez, lib. VII, disp. 79, n. 30, cum communi aliorum.

9. *III. Ut tam adulterium, quam ejus promissio facta sint vivente uxore.* — III. Requiritur, ut tam adulterium, quam promissio matrimonii, vel attentatio ejus facta sit vivente adhuc adulteri, vel adulteræ legitimo conjugis. Omnes, per clara jura hactenus allegata, ubi semper dicitur: si vivente uxore, ut proin impedimentum non oriatur, si quis vivente legitima uxore, cum aliqua adulterium committit, et post mortem uxoris, eidem matrimonium promittit, aut e contra.

10. *Et quidem eadem.* — Imo secundum Bosco, de *Impedim. matrim.* sect. 8, concl. 6; Sanchez, loc. cit., n. 6 et alios ab eo citatos requiritur, ut adulterium et promissio matrimonii fiant durante eodem conjugio, consequenter impedimentum non oriatur si vivente una uxore quis cum Bertha v. g. adulterium committit, et post mortem uxore

ris aliam, et non Bertham duxit, vivente tamen secunda hac uxore Berthæ matrimonium promittit. Ratio est, quia canones et textus h. t., hactenus allegati de eodem conjugis vivente loqui videntur.

11. *IV. Ut uterque adulterans sciat, alterum esse conjugatum.* — IV. Requiritur, ut uterque adulterans sciat, alterum esse conjugatum. Omnes textu expresso c. 1, h. t., ibi: « Quia tamen mulier erat inscia, quod ille aliam haberet uxorem viventem, et c. penult. h. t. » Ratio est, quia tunc ex parte ignorantis non adest verum adulterium, arg. l. pen. ff. *ad Leg. Jul. de Adult.* Imo non tantum potest inter tales postea consistere matrimonium, sed insuper tenetur verus adulter post mortem conjugis suæ, illam ducere, quam ignorantem vivente uxore cognovit, si eidem etiam tunc matrimonium promisit, vel etiam de præsentibus cum illa contraxit; textu expresso cit. c. 2. et penult. h. t. ubi etiam ratio additur: « Quia dignum non est, ut prædictus vir, qui scienter contra canones venerat, lucrum de suo dolo reportet. » Parti tamen ignorantem liberum manet, num velit parti scienter adulteræ nubere, necne, cit. c. fin. h. t. ibi: Nisi mulier (quæ fuit ignorans) divortium petat.

12. *V. Ut adulterium sit perfectum.* — V. Requiritur perfectum, et consummatum adulterium, nec sufficit copula solum attentata, Sanchez, loc. cit., n. 2; Barbosa, in c. fin., h. t., n. 4, et ibi Abbas, n. 6; Joan, Andreas, n. 4, cum Glossa *¶ Cognovit*. Ratio est, tum quia non obest conatus, ubi injuria non habuit effectum, arg. c. fin. *de Sponsal.* Tum quia versamur in pœnalibus, quæ restringere potius oportet, quam ampliare, c. *Odia*, 25. *de Reg. jur.*, in 6.

13. *Et secundum aliquos, ut etiam vir seminet intra vas mulieris: contrarium tamen probabilius.* — Addunt aliqui (quos sequendo etiam nos diximus in Theologia nostra moralis tract. 14, dist. 16, n. 93.) necesse quoque esse, ut vir etiam seminet intra vas, verum spectando legis intentionem seu rationem (quæ est anima legis) et juris fundamenta, probabilius videtur, id non requiri, quia jura plus non requirunt, quam verum ac perfectum adulterium; quale revera in utroque est, si vir vas fœminæ penetrat, etsi omnino non seminet, vel adventum seminis advertens, virilia extrahat, et extra vas seminet. Accedit, quod alias per iniquam illam

seminis frustrationem facile elidi possent sacri canones, criminis impedimentum statuentes, et adulteri liberius peccarent, utpote carentes periculo imprægnationis, confusionis et pœnæ.

Nec obstat, quod ad contrahendum affinitatem requiratur, ut saltem vir seminet per dicenda infra tit. XIV, *de Consang. et Affinit.* n. 37, quia impedimentum affinitatis inductum est principaliter ob unitatem carnis, quæ non nisi ex perfecta copula ad generationem sufficiente causatur, juxta dicenda cit. tit. XIV, n. 37 et seqq. ac propterea etiam absque omni delicto contrahitur. Secus est de criminis impedimento, quod præcise in odium et pœnam delicti, et ad illud evitandum ab Ecclesia est statutum, quod delictum longe majus, ac etiam frequentius est, si penetrato jam vase seminatur extra vas, vel saltem haud minus, si omnino non seminat vir, consequenter a pœna immerito eximitur.

14. *Per lascivos tactus tamen non contrahitur impedimentum criminis.* — Illud verum est, quod, si vir solos lascivos actus exerceat, et absque immissione virilium in muliebria solam pollutionem extra vas committat, impedimentum non consurgat; quia in hoc casu proprium ac perfectum adulterium non est.

15. *VI. Ut, si fiat promissio matrimonii, sit seria.* — VI. Requiritur, ut, si promissio fit, sit vera ac seria, atque ab altera parte acceptata. Quod debeat esse seria, et non sufficiat ficta, docet Bosco, de *Impedim. matrim.*, sect. 8, concl. 3, n. 76; Perez, disp. 33, sect. 4, n. 2; Henriquez, lib. XII, *de Matrim.*, cap. xiv, n. 3, et alii contra Sanchez, lib. VII, disp. 79, n. 10. Ratio est, tum quia ficta promissio non est promissio. Tum quia pœnalia restringenda potius sunt, quam extendenda, c. *In pœnis de Reg. jur.* in 6. Confirmatur a simili in fide rebaptizante, aut proferente hæresin, utpote pœnas juris non incurrente.

16. *Et acceptata.* — Quod autem debeat promissio esse acceptata, conveniunt doctores, et ratio est, quia promissio non acceptata est nuda pollicitatio, nullam pariens obligationem, l. *Absenti*, ff. *de Pollicit.* Et nota cum Bosco, loc. cit., concl. 4, n. 128, partem tacentem hic non censeri acceptare; quia acceptatio est in ejus præjudicium, utpote causans impedimentum: ubi autem taciturnitas est in damnum tacentis, taceat